



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**MDCLXXXVII**

Q. 224. Vtrum ad sacramentum pœnitentiæ requiratur imposito manuum  
sacerdotis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

39. Ad 1. distinguo maiorem: remittere peccata principaliter, & propria autoritate, est proprium Dei, concedo; ministerialiter, & autoritate accepta à Deo, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Remittere peccata principaliter, & propria autoritate est proprium Dei, vt probatur est quæst. 65. de sacramentis: at remittere peccata ministerialiter, & autoritate accepta à Deo, conuenit etiam ijs, quibus Deus hanc potestatem dedit; sed Christus Ioan. 20. dedit sacerdotibus potestatem remittendi peccata: ergo &c.

40. Ad 2. Leo dicens indulgentiam non posse obtineri, nisi precibus sacerdotum, nomine precum comprehendit formam, quam sacerdos dicit, ergo te absoluo, quam vocat preces, quia profertur inter preces: siquidem prius dici solet Dominus Iesus Christus te absoluat &c. Ratio, quare ex usu, & ritu ecclesiæ, ante formam essentialem præmitti soleant preces, ex Sancto Thoma hac quæst. 84. art. 3. ad 1. est, quia cum ad valorem, & effectum sacramenti requirantur actus pœnitentis, & præsertim attritio, et ecclesia ante formam præmittit preces, quibus rogat Deum, vt in pœnitente interiorius operetur debitam dispositionem, sine qua sacramentum careret suo effectu. In eodem sensu intelligendi sunt alij Patres. Dum autem dicunt solum Deum remittere peccata, dicunt solum Deum remittere peccata propria autoritate.

41. Ad 3. Græci vt plurimum non solum dicunt, Deus te absoluat, sed addunt, & ego habeo te absolutum, qui modus loquendi apud græcos idem significat, ac apud latinos, ego te absoluo, vt probat Petrus Arcudius lib. 4. de sacramentis ecclesiæ orientalis cap. 3. de forma sacramenti pœnitentiæ. Apud græcos illi, qui solis precibus vtuntur, inualidè absoluit. Nec est mirum, quod in tenebris schismatis hoc etiam errore laborent.

42. Ad 4. concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Sacramentum pœnitentiæ institutum est per modum iudicij; sed in iudicio sententia iudicialis non profertur per formam deprecatoriam; ergo absolutio, quæ est forma sacramenti pœnitentiæ, non debet esse deprecatoria. At sacramentum extremæ vnctionis non est institutum per modum iudicij, sed per modum vnctionis, cui addatur oratio sacerdotis, ideoque Iacobi 5. dicitur: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, qui orent super eum, & ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & allenabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittantur ei: ergo forma extremæ vnctionis debet esse deprecatoria.

43. Ad 5. iam dictum est in resp. ad 4. quæsitum.

44. Ad 6. Potestas curandi infirmitates Apostolis data non erat iudicialis: ergo non est mirum, quod exerceretur per orationes. At potestas absoluendi est iudicialis; sed sen-

tentia iudicialis non debet esse deprecatoria: ergo &c.

45. Ad 7. sicut vinculum censuræ inducitur ab ecclesia, sic ecclesia potest à censuris absoluere modo, quo voluerit, etiam per nutus, & scripturam, vt benè notat Suarius de censuris, disp. 7. sect. 9. num. 13. ergo non est mirum, quod ecclesia possit absoluere à censuris, etiam per formam deprecatoriã. At potestas absoluendi à peccatis pendet ab institutione Christi, qui voluit, vt absolutio detur per verba non deprecatoria, sed iudicialia. Adde de facto formam absoluendi à censuris non esse deprecatoriam, sed consistere in ijs verbis, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, & interdicti.

QVÆSTIO CCXXIV.

Verum ad sacramentum pœnitentiæ requiratur impositio manuum sacerdotis?

S. Thom. qu. 84. art. 4.

1. Videtur requiri. Primo quia ad valorem baptismi, confirmationis, extremæ vnctionis, & ordinis, non sufficit, vt minister proferat verba, sed requiritur, vt exerceat aliquam aliam actionem externam baptizandi, signandi, vngendi &c. ergo etiam ad valorem sacramenti pœnitentiæ.

2. Secundo Matth. vlt. dicitur: Super egros manus imponent, & benè habebunt; sed sacramentum pœnitentiæ institutum est ad reddendam sanitatem spiritualem peccatoribus, qui spiritualiter sunt ægri: ergo &c.

3. Tertiò in sacramento pœnitentiæ redditur Spiritus Sanctus per peccatum amissus, ideoque psal. 50. dicitur: redde mihi lætitiã salutaris tui, & spiritu principali confirma me; sed vt legitur Act. 8. Spiritus sanctus ab Apostolis dabatur per impositionem manuum: ergo &c.

4. Respondeo fuisse antiquum plurius saltem ecclesiarum morem, vt sacerdotes ministrantes sacramentum pœnitentiæ imponerent pœnitentibus manus, ideoque sacramentum pœnitentiæ vocabatur impositio manuum, & manus imponere sumebatur pro eo, quod est pœnitentem absoluere, vt patet ex Concilio Nicæno can. 8. & ex alijs antiquis Concilijs, & Patribus. Hic mos fundamentum habuit in Scriptura, in qua Leuit. 16. sacerdos imponebat manus super hircum, quo significabatur peccator pœnitens. Ratio videtur fuisse, quia qui ab altero offensus est, solet in signum reconciliationis, & veniæ, porrigere manum ei, à quo fuit offensus; sed sacerdos per sacramentum pœnitentiæ reconciliat hominem Deo, illique dat veniam: ergo conuenièter fuit antiquitus indutus mos, vt sacerdos porrigeret, & imponeret manus pœnitenti in signum reconciliationis, & veniæ.

5. Ex eo; quod antiquitus sacerdos absolvens imponeret manus poenitenti, doctor ille, contra quem, ut dictum est quæst. 223. in resp. ad 3. quæsitum, Sanctus Thomas scripsit opusculum 22. sumpsit occasionem docendi ad valorem sacramenti poenitentiae non sufficere, ut sacerdos proferat verba absolutionis, sed requiri, ut manus imponat poenitenti. Hunc errorem secutus est Philppus Melanthon, qui ut refert Bellarm. lib. 1. de poenit. cap. 15. docuit præter verba absolutionis adhibendam esse à ministro impositionem manuum, vel signum crucis.

6. Dicendum ad valorem sacramenti non requiri impositionem manuum, neque signum crucis, neque ullam aliam ceremoniam externam, quæ sit actio sacerdotis superaddita verbis absolutionis.

Probatur: nam Concilium Florentinum in decreto pro Armenis, & Tridentinum sess. 14. cap. 3. docent materiam huius sacramenti esse actus poenitentis, formam esse absolutionem sacerdotis, & nullam faciunt mentionem de impositione manuum, nec de alia ceremonia exercenda à sacerdote; sed si de essentia sacramenti esset impositio manuum, non debuissent illam omittere: ergo &c.

7. Confirmatur: nam si impositio manuum esset de essentia sacramenti, esset materia sacramenti, proportionaliter, ac ablutio est materia baptismi.

Confirmatur rursus ex communi consensu Theologorum, & ex sensu Ecclesiae, quæ existimat ad hoc sacramentum sufficere actus poenitentis, & absolutionem sacerdotis, & colligitur ex ipsa Christi institutione, qui sacramentum hoc instituens dixit, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, ac nullam fecit mentionem impositionis manuum, vel alterius ceremoniæ.

8. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Sacramenta sunt in duplici genere. In primo genere sunt ea, quibus requiritur, ut ministri per aliquam actionem applicent materiam recipienti sacramentum, & proferant formam. In hoc genere sunt baptismus, confirmatio, ordo, extrema unctio. In secundo genere sunt, ad quæ conficienda sufficit, ut minister proferat formam supra materiam propositam, etiamsi nullam aliam actionem corporalem exerceat. In hoc genere sunt eucharistia, & poenitentia. Sicut enim ad perficiendum sacramentum eucharistiæ sufficit, ut sacerdos proferat verba consecrationis super panem, & vinum, etiamsi nullam aliam actionem exerceat, sic ad perficiendum sacramentum poenitentiae sufficit, ut sacerdos proferat verba absolutionis supra materiam, hoc est supra peccata à poenitente proposita per confessionem, cum dolore de ipsis.

9. Ad 2. Licet Christus loquens de curatione agrorum dixerit, *super agros manus imponent, & benè habebunt*, tamen loquens de re-

missione peccatorum non fecit mentionem de impositione manuum, sed solum dixit, *peccata remiseritis peccata &c.* ergo ad peccata remittenda non requiritur impositio manuum. Ratio est, quia sacramentum poenitentiae institutum est per modum iudicij, in quo sacerdos, audita causa, absoluit reum; sed ad iudicium perficiendum sufficit, ut iudex proferat sententiam; ergo.

10. Ad 3. distinguo minorem: Spiritus Sanctus ab Apostolis in sacramento confirmationis, & ordinis dabatur per impositionem manuum, concedo; in sacramento poenitentiae, nego; & nego consequentiam. Spiritus Sanctus ab Apostolis in sacramento confirmationis dabatur per impositionem manuum, ut patet actor. 8. in sacramento etiam ordinis dabatur per impositionem manuum, ideoque 2. ad Timoth. 1. dicitur, *refuseis gratiam, quæ est in te, per impositionem manuum mearum*. At in sacramento poenitentiae, & baptismi gratia non dabatur per impositionem manuum. Ratio congruentiæ videri potest apud Sanctum Thomam hoc art. 4. in corpore.

## QUÆSTIO CCXXV.

*Verum contritio, confessio, & absolutio sint partes intrinsecæ, & essentielles, satisfactio sit pars integralis sacramenti poenitentiae? S.Th. quæst. 89. art. 1. 2. 3.*

1. **V**idetur vera sententia Scoti, qui in 4. dist. 14. quæst. 4., & clarius dist. 16. quæst. 1. docuit sacramentum poenitentiae esse solum absolutionem legitimam, contritionem autem, confessionem, & satisfactionem requiri quidem ad hoc, ut sacramentum dignè, & cum fructu recipiatur, sed non esse partes intrinsecas essentielles, neque integrales sacramenti poenitentiae, imò nullo modo esse partes eius: primo quia sacramentum poenitentiae est sententia absolvens reum à peccatis; sed talis sententia, licet ante se requirat confessionem, & contritionem peccatorum, & post se requirat satisfactionem per implementationem poenitentiae iniunctæ, tamen non constituitur intrinsecè per hos actus poenitentis, sed solum illos extrinsecè connotat; ergo &c.

2. Secundo sacramentum est signum sensibile illius rei, ad quam efficiendam ordinatur; sed sola absolutio est signum sensibile adæquatum remissionis peccatorum, ad quam remissionem efficiendam ordinatur hoc sacramentum; ergo &c.

3. Tertio sacramentum consistit adæquatè in eo, quod confertur à ministro; sed minister confert solum absolutionem; ergo &c.

4. Quarto si sacerdos esset sacramenti minister solum per hoc, quod poneret vnam partem